



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

1 Capellani triremium si exempti non sint, ab Episcopo visitari possunt, vt alij viatores.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

DECISIO XIII.

Ex conf. 1. in Nouis. deest in antiquis.

Castratus ob egritudinem de consilio medicorum, sine vlla dispensatione ad omnes ordines sacros ab Episcopo suo promoueri potest. c. si quis a Medicis c. Euanuchus, d. 55. & Nau. in Man. c. 17. nu. 199.

DECISIO XIV.

Ex conf. 8. in Nouis. deest in antiq.

Clericus Minorum ordinum, & surdus, & sciens quod propterea non initiaretur sacris a suo ordinario, cum falsis literis dimissorij a se coelectis subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum ab alieno sumens prater peccatum in falsis literis fingendis commissum, tres suspensiones incurrit, tres ordines sacros sine literis dimissorij ordinarij sui suscipiens ex Extra. cum ex Sacrorum. Pij II. & ex Nauar. in Man. c. 25. nu. 7. & c. 27. num. 241. Beneficio autem prius adepto ob huiusmodi delicta ipso iure non priuatur, cum beneficium legitime prius obtentum, per superuenientem irregularitatem regulariter ipso iure non perdat. Innoc. c. 15. qui de sent. exc. in 6.

TITVLVS XIV.

De Bigamis.

S V M M A R I V M.

- 1 Læcus nulliter cum corrupta contrahens non est bigamus.
- 2 Irregularis tam est qui bis quam qui plures nuptias contrahit, & quare?
- 3 Episcopus ordinando bigamiam ab eo ordine conferendo, & a Missa celebranda per annum suspensus est.

DECISIO I.

Ex confil. 1. deest in Nouis.

Læcus, aut clericus minorum ordinum contrahens Matrimonium cum corrupta inualide ob aliquod impedimentum, nullam irregularitatem aut bigamiam veram, eo quod non contrahit valide cum duobus successiue; aut interpretatur eo quod non contrahit cum duobus inualide vel cum vna valide, & cum alia inualide, nec cum corrupta valide ex Nau. in Man. c. 27. num. 195. aut Bigamiam similitudinariè contrahit, quia non contrahit cum vna valide, neque inualide post votu' solemne religionis, vel ordinis sacri, quo quis spirituale Matrimonium cum Christo contrahere dicitur, c. 1. & c. quotquot 27. q. 1. & irregularitas in casibus tantum iure expressis contrahitur. c. 15. qui de sent. exc. in 6.

DECISIO II.

Ex conf. 2. deest in Nouis.

Irregularis tam est qui bis, quam qui plures nuptias contrahit, & bigamus, non trigamus dicendus est læcus, qui vicissim cum virgine, & ea mortua, cum vidua, vel cum corrupta contrahit: quia ea tantum de causa bigamus irregularis est, & inhabilis ad Sacramentum ordinis, quia in eo non est significatio coniunctionis Christi cum Ecclesia vnica sua sponsa; Ita S. Thom. 4. dist. 27. q. 3. art. 1. tam inhabilis autem est ad hanc coniunctionem Christi cum Ecclesia vnica sua sponsa significandam, qui cum duobus, quæ quæcumque tribus, aut pluribus contrahit, quia iam carnem suam diuisit, vnde in iure nulla trigamiam, sed bigamiam solumus mentio est, vt patet in toto tit. de big.

DECISIO III.

Ex conf. 3. deest in Nouis.

Episcopus bigamum ordinando, & beneficium simplex ei conferendo a collatione ordinis illius quem bigamo contulit. Arg. c. eos, & c. vlt. de temp. ord. in 6. & c. Nullus penitentem, dist. 55. & etiam a Missa celebranda. Glos. in d. c. Nullus penitentem, ipso iure per annum suspensus est, & ab ordine deponi potest, & collatio beneficij facta nulla & inualida est, eo quod collatio bene

ficij alicui irregulari facta non valet; sic Innoc. in c. cum nostris, de concess. preb.

TITVLVS XV.

De clericis peregrinis.

S V M M A R I V M.

- 1 Capellani trivemium si exempti non sint, ab Episcopo visitari possunt, vt alij viatores.

DECISIO I.

Ex confilio 1. vnico, alias 4. de foro compet.

Episcopus Capellanos trivemium, quæ aduersis ventis in portibus suarum ciuitatum commorantur, si exempti non sunt, perinde ac alios viatores, & transennites, visitare potest, seruato vnici quæ sua privilegia, & ius, quod habent iure communi, vel particulari, domum suam reuocandi. c. si. de foro compet. & c. 1. de ptuileg.

TITVLVS XVI.

De officio Vicarij.

S V M M A R I V M.

- 1 Peccat, qui vel iurisdictionem usurpat, vel affirmat pro certo, quod nescit esse tale.
- 2 Vicarius Generalis a Capitulo Sede vacante constituendus, qualis esse debeat.
- 3 Vicarius Canonicus in Capitulo, & Choro locum Canonici tenet.

DECISIO I.

Ex conf. 1. alias 3. de crimine falsi.

Vicarius foraneus literis, & testimonijs suis affirmans aliquem esse idoneum beneficio simplici, aut Canonicali ob solam relationem alterius, quem tamen ignorat, an idoneus sit, nec ne, non solum peccat ex S. Th. 2. 2. q. 60. ar. 6. vsurpando iurisdictionem alienam, scilicet, Vicarij Generalis, non appellando se Foraneum, sed Vicarium simplicitate; sed etiam affirmando pro certo, quod ignorat esse tale, cap. 1. de crim. falsi, & dando occasionem laedendi Reipublicam, & proximum. c. vlt. de iniurijs.

DECISIO II.

Ex conf. 2. alias vnico in Nouis, & etiam 2. de Maior. & obed.

Vicarius Generalis a Capitulo sede vacante constituendus; Doctor esse debet, vel Licentiatu' in iure Canonico; vel alias quantum fieri potest idoneus; vt colligitur ex Concil. Trifl. 24. c. 16. de ref. Et cum Vicarius Episcopi idoneus esse debeat ad id, in quo vices eius gerit. c. quoniam in plerisque, & c. inter cetera, de offic. ord. & constitui solet fere ad omnia, quæ gesturus est Episcopus, non satisfacit Episcopus muneri suo, nisi idoneum constituat, sed peccat: constitutio tamen talis Vicarij tenet ipso iure, modo sit clericus saltem in Minoribus constitutus, vnde & ab eo, & coram eo facta valida censentur.

DECISIO III.

Vicarius Generalis Episcopi, qui simul est Canonicus Ecclesie, in choro, & Capitulo locum Canonici tenere debet, ex Gemin. in c. cum a collatione, de appel. in 6. nisi contrarium consuetudine esset inductum.

TITVLVS XVII.

De officio, & potestate iudicis delegati.

S V M M A R I V M.

- 1 Conservatores, quoad quæ ordinarij iudices sunt, & quoad quæ iudices delegati.

Iuris-